

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2721

**Auteur(s) :** Guillaume le Vavasseur [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Guillaume, Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieur)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1287, juillet

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Abandon par Guillaume Le Vavasseur des prétentions qu'il avait soulevées, au détriment des moines de Saint-Martin-du-Vieux-Bellême et de Guillaume, leur prieur, sur certain trait de dîme, sis à la Bursardière, au fief de Landres, dans la paroisse de Mauves ; et fieffe perpétuelle par ledit Guillaume de la dite portion de dîme pour une rente annuelle de dix-sept sols de rente.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche, Mortagne-au-Perche, Meaux* (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 237, p. 222-225.

Texte établi d'après a

Universis..... Guillelmus dictus Le Vavassour, quondam filius et heres primogenitus Guerini defuncti Le Vavassour, salutem in Domino.

Noveritis quod cum contencio moveretur inter me, ex una parte, et virum religiosum Guillelmum, tunc temporis priorem Sancti Martini de veteri Bellismo et fratres predicti prioratus, ex altera, super eo videlicet quod petebam et petere intendebam a dictis priore et fratribus, in curia domini Regis, apud Mauritaniam, tractum et batagium cum straminibus et forragiis tocius porcionis sue cujusdam decime site apud la Bursardère, in feodo de Landis, in parochia Sancti Petri de Manvis, ad eosdem religiosos et eorum monasterium spectantis, que omnia predicta, videlicet tractum, batagium cum straminibus et forragiis, ad porcionem suam predictae decime spectantia, dicebam ad me jure hereditario et feodaliter ex successione predicti defuncti Guerini, quondam patris mei, pertinere debere, et me, post decessum ipsius Guerini, fuisse in possessionem veram et sessinam pacificam de premissis, videlicet tractu, batagio, straminibus et forragiis tocius porcionis sue decime supradicte : quod nobis predictus prior et fratres penitus denegabant, in contrarium asserentes omnia predicta, que petebamus et petere intendebamus ab ipsis, eisdem religiosis et eorum monasterio predicto Sancti Martini de jure pertinere debere :

Tandem, proborum virorum consilio mediante inter me, ex una parte, et dictos religiosos, ex altera, pacificatum extitit in hunc modum : quod ego, nollens me et dictos religiosos ac eorum monasterium gravari aliquatenus ob hoc in laboribus et expensis, senciensque eciam me nullum jus habere de jure in omnibus et singulis que petebam et petere intendebam ab eisdem, predicta omnia, videlicet tractum, batagium cum straminibus et forragiis que petebam ad porcionem suam predictam dicte decime dimisi ex nunc penitus, et quitavi in perpetuum habendam,

tenendam et possidendam dictis religiosis et eorum successoribus, in monasterio suo predicto Sancti Martini ec eorum mandato, libere, pacifice et quiete de omnibus rebus quibusconque ad me et meos heredes spectantibus quoquomodo, sine contradictione vel reclamacione aliqua mei vel heredum meorum, seu alterius cujusconque a me causam habentis, in omnibus premissis et singulis de cetero facienda, aliqua ratione seu causa ; et eosdem religiosos ac eorum successores in monasterio suo predicto absolvi penitus et quitavi in perpetuum ab omni actione et inquietatione, quas habebam et habere poteram contra ipsos, ratione seu causa omnium premissorum, nichil distractus aut justicie, proprietatis, possessionis, actionis seu juris michi vel meis heredibus in omnibus predictis et singulis retinens in futurum.

Preterea sciendum est quod cepi mihi et meis heredibus ad hereditatem perpetuam, a predictis priore et fratribus, omnem porcionem suam predictam decime, supradicte, cum tractu, batagio et straminibus ac forragiis ad eandem porcionem ejusdem decime spectantibus, et cum omnibus aliis pertinentiis suis, tenendam et habendam et in perpetuum possidendam libere, pacifice et quiete de omnibus, reddendo exinde a me et meis heredibus sepredictis priori et fratribus, ac eorum successoribus, apud predictum Sanctum Martinum, decem et septem solidos monete currentis annui et perpetui redditus annuatim, in festo Nativitatis Domini vel infra octabas ejusdem Nativitatis tantummodo pro omnibus serviciis et rebus omnibus aliis quibusconque, pertinentibus ad quosconque quoquo modo ; ita tamen quod quam cito ego aut heredes mei defecerimus in solucione predicti redditus, ad terminum supradictum, omnis porcio sua predicta dicte decime, cum omni jure et pertinentiis ejusdem, videlicet tractu, batagio, straminibus et forragiis, et herbergamentum meum de la Bursardère cum omni alia hereditate mea ubiconque et in aliiscumque sit, in parochia supradicta, que omnia posui et assignavi in contraplegium solucionis faciende predicti redditus, ad terminum supradictum, predictis religiosis devenient, current et remanebunt, ex tunc eisdem et eorum successoribus in monasterio suo predicto, in hereditate perpetua possidenda libere, pacifice et quiete, sine contradictione vel reclamacione aliqua in omnibus predictis et singulis ex tunc a me vel meis heredibus facienda aliqua racione seu causa, salvis tamen serviciis et rebus aliis que dicti religiosi, si predictum herbergamentum cum alia hereditate mea eisdem increverit, facere tenebuntur, quociens de jure fuerint facienda. Et ipsi tenentur defendere et deliberare mihi et meis heredibus omnem porcionem suam predictam decime supradicte, cum omnibus pertinentiis suis quibusconque, et contra omnes in perpetuum guarantire et de omnibus deservire contra omnes dominos, per redditum supradictum.

Ad hec autem omnia predicta, prout superius sunt expressa, tenenda fideliter et servanda, sepredictis religiosis ac eorum successoribus, ut dictum est, et mandato, obligavi me, dato corporaliter sacramento, et meos heredes universos et singulares, et omnia bona mea mobilia et immobilia, presencia et futura ubicumque existentia mecum et in perpetuum volui obligari ; renuncians in hoc facto omni exceptioni doli, mali et deceptionis, omni auxilio et privilegio facti et juris canonici et civilis, omnibus consuetudinibus patrie et statutis Regum et principum, et omnibus aliis exceptionibus et rationibus quibusconque, per que ego aut heredes mei possemus venire contra premissa, seu aliqua premissorum.

Et in omnium premissorum testimonium et munimen, sepredictis religiosis ac eorum successoribus ac mandato presentes dedi litteras sigilli mei munimine roboratas.

Nos quidem, Johannes dictus Pichart, vicecomes et custos terre Pertici, sigillum dicte terre, ad petitionem parcium presentium coram nobis et premissa confitencium esse vera, salvo jure domini Regis, litteris presentibus duximus adponendum, ad majorem confirmacionem et testimonium rei geste.

Actum anno Domini milesimo CC° octogesimo septimo, mense julio.